

La messe matinale dans l'ordre de Prémontré

Textus in articulo fasciculi praecedentis, p. 9-12, incuria auctoris omissi, hic subtus publicantur.

Annexes

I. TEXTE DE OL

Hanc autem missam sacerdos preterite ebdomade, qui majoris misse officium complevit, cum diacono et subdiacono suo, albis indutis ubi facultas fuerit, debet exequi. Qui videlicet ad *Quicumque vult* cum ministro chorum egressi, preparent se ita ut ad confessionem, que fit infra preces ad primam, possit ingredi. Quam sacerdos, junctis sibi diacono ad dexteram, subdiacono ad sinistram, si abbas presens non fuerit, faciat. Et facta confessione, inclinantes, ordine suo ad altare accedant, agentes se in omnibus sicut supra dictum est.

II. TEXTE DE PG-MA

Ad psalmum *Quicumque vult*, sacerdos, qui missam in choro cantaturus est, et qui privatas missas cantare volunt, cum ministris suis, ad versum *Qui vult ergo* exeant, et preparent se, ita ut sacerdotes induti intersint confessioni que infra primam fit. Quam incipiat sacerdos qui in choro cantaturus est, si abbas presens non fuerit, ... Ad hanc missam, post offertorium, ebdomadarius majoris misse faciat commendationem minorem, cum uno de ministris suis. Post dictam missam dicitur prima de sancta Maria. Qua finita, si anniversarium novem lectionum fuerit, fiet major commendatio à sacerdote qui missam cantavit, prius dato signo ut ad eam omnes conveniant ...

III. TEXTE DE GR

Dans une copie de l'Ordinaire, exécutée à l'abbaye de Grimbergen au début du XIII^e siècle, le passage «Et facta confessione ordine suo» est remplacé par l'intercalation suivante :

Qua facta, inclinent primo ad altare, deinde ad conventum, postea chorum exeant, et expectant donec prima beate Marie virginis percantetur. Que sine intervallo cantari debebit post primam diei, nisi commendatio facienda fuerit in conventu. Que utique, cum facienda fuerit in conventu, ante matutinalem missam fieri debet, statim post primam diei. Finita vero commendatione, exeant sacerdos et ministri, et incepto psalmo *Deus misereatur*, accepta casula a sacerdote, ingrediantur ante gradus presbyterii eo ordine quo prius, et inclinantes primo ad altare, deinde ad conventum, postmodum.

IV. TEXTE DE PL

Ad psalmum *Quicumque vult* sacerdos, qui missam cantaturus est, cum ministris exeat... Post primam diei dicatur prima de sancta Maria, nisi quando commendatio debet fieri in conventu. Que inter duas primas dicatur que commendatio fiet a sacerdote qui cantaturus est missam, prius tamen ut omnes conveniant dato signo. Hiis expletis, conventus remaneat in ecclesia, vacans orationi, donec pulsetur ad capitulum, et tunc omnes intrent claustrum.

V. TEXTE DE OL QUANT À LA MESSE «DE JEJUNIO»

Celebrabitur autem deinceps cotidie, exceptis dominicis, usque ad Cenam Domini, summo mane, ante primam, missa de Jejuniis. Cui videlicet misse intererunt conversi et scriptores, si volunt, cum hiis qui majori misse, propter suas occupationes, interesse non poterunt. Qui vero missam celebraturus est, ad laudes, cum suis ministris, exit dormitum. Et notandum quod hanc missam celebrabit sacerdos cui a priore injunctum fuerit. Hec autem missa, ante primam, in festo IX lectionum non celebri non dimittetur.

Ante missam vero sacerdos partem cineris in vase sumens, benedicat, et capitibus conversorum, sive populi si affuerit, vel ante missam, vel post, imponat.

Pl. LEFÈVRE